
d/s L2



Ter Tres Musæ hîc Sunt: cur non comparet Apollo?
Dat Tibi *iure suum Rex* LEOPOLDE *locum*
Pragæ Superiorum permissu. A.° 1656.



APPLAVSVS NOVENI
QUOS NOUUS REX
Ævi Ferrei Aureus Princeps
FERDINANDI III.
Imperatoris Augustissimi, Augustus Filius
LEOPOLDVS
IGNATIVS
Pannoniorum Regio Diademate insignitus,
E Nouenis grammatibus Sui proto-Nominis
suppeditat,
Ac in eiusdem laudem, elogium, honorem,
Dum Bohemici Regni, Thronum, Coronam, Sceptrum,
auspicatò
Ab ipsomet Augustissimo Patre
In Triurbe Pragâ
Anno M.DC.LVI. die 14 Mensis 7bris
consignata capessit,
Euocatâ è Helicone Bohemo-Hercynio
Ad complaudendum Sacrâ Camœnarum enneade
Familia D. Augustini Excalceata
S. R.æ M.ti deuotissima
In Cœnobio S. WENCESLAI Neapoli Bohemiæ
concinnat.



Clio

APPLAVSVS I.

LEOPOLDE

Regum Serenissime

Aue, faue,

Et quo Vultu uacuas soles manus

A TE *fauorum munere onerandas,*

Eodem et Laudum pondere onustas, respice:

Quæ pondus non haberent, nisi essent TVÆ.

Vel â capite Nomen TVVM Laudes insonat,

Leoniq; *Czechico ultrò consonat.*


LEO es Virtute, *nec tamen rigidus,*

Quià in fronte numerum Indulgentiæ geris pro TVO Grege

Vt Consilio *iustè*, Industriâ *piè regas*

PIETATEMq; *et* IVSTITIAM

Parentis Augusti,
Auctus Regno, in TE referas.
TV illo ditatus es
Et TE dotatum est illud;
Vt in TE Augusto angustum augeatur.
O quam opportunè LEOPOLDÆVS Thesaurus,
Importuno FERDINANDI IV. defectui est suffect9!
Hactenùs alij Leopoldi Præambulones TVI
(Velut ignes minores)
Reguli præfulsêre Austriæ,
At TV tanquam Austriacus Sol,
Illustratus es Basilicis Regum Titulis
Vngariæ, Bohemiæ:
Vnde Splendor TVVS
Est in quadam continuâ eâq; felicissimâ Auge:
Pelige igitur hoc plausûs et ausûs nostri indicium
Rex optime
Indicant illud TVA beneficia,
Dedicant TIBI nostra obsequiosa officia,
Vendicant sibi Amoris erga nos TVI illicia.



Omne quod est toto peragendum Regibus Orbe,
In bino sese fundat id omne modo:
Ante THEORIA *sit,* PRAXIS *quã deinde sequatur:*
Ista suum debent iure tenere locum,
Illi CONSILIVM, *sed Praxi* INDVSTRIA *seruit:*
Hic OCVLVS *quid agat, iam scio, quidue* MANVS.



Euterpe
APPLAVSVS II.

EIA!
Viue et Vale Regum Nostratium Prime
LEOPOLDE IGNATI.
In Bohemiæ *solio dum sedes, in Centro es,*
Ab hoc
Duc TVÆ Potentiæ lineas
Ad circumferentiam Teutoniæ,
Et omnes æquales intuebere
Subiectionis paritate
TE cæteris eminente.

Virtutis sedes est medium,
Et inde nihil addi potuit
Nec Regnantis *nec* Regni *gloriæ amplius:*
Quid dicam?
Vendicat Hercyniam sibi nostra Bohemia *Syluam,*
Sic herts* *in medio est* Boëmia Teutoniæ,* cor.
Ergo In Germaniæ *medio situatur Regnorũ Virtus*

BOHEMIA:

Et in eius medio Virtutum Regnum


LEOPOLDVS IGNATIVS

Principum BOHEMIÆ *Christianorum* L.mus

LEOPOLDORUM I.mus



Ex Aulæ Patriæ claustris ad Regna Bohema
Se LEOPOLDVS Lux Faxq; *Serena leuat:*
Non benè sub modij nitor hic latitauerat umbrâ
Excelso positus debuit esse iugo,
Est positus, læti hùc Orbis properate coloni,
Vos Lux Regales instruet illa uias.



Thalia


APPLAVSVS III.

O ut uerum!
Pro Regnis alijs Reges fieri
Pro Bohemiâ *nasci:*
Non meretur hæc sceptra
Quem non fecit natura Regem:
Cui tantæ magnitudinis Corona subiecta sit,
Maximus esse debet
Etiam dum est minimus.
Talem TE inuenit
LEOPOLDE IGNATI

7. *Curru triumphali uidebare uehi*
Dum in Cunis fuisti:
Fasces librare
Dum fascijs cingebaris:
Quid igitur morā necteret!
Nexuit imò Coronam uouens
Ut quæ TECVM *nata est in* SPE *tanquam flore,*
TECVM *in* RE *tanquam fructu, adolescat*
FELICITAS.



Austriaco, *licet* Hungariæ Crux, Sole *prematur*,
Sol *tamen hic ambit ſcandere celſa magis:*
Ecce Leonis *habet quoq; Regnũ:* Aquilasne *Paternas*
Jam petet, ut summo se locet ille Polo?
Zodiacum Astrologi ueteres remouete uetustum,
Plura Poli signis **REX** *sibi signa petit.*



Melpomene

APPLAVSVS IV.to

Proh!

Quæ uix uiolenter assequuntur cæteri
Vltrò obuiant
LEOPOLDO:
Mundos illi subiugant Equitatu
Hic Æquitate.
Magnæ Bohemiæ *paruum Mundum*
PRAGAM
Lanceam quæ auerruncauit hostium,
Patris *æquâ hostit lance:*

(Tantæ est æquabilitatis REGIS Iustitia,
Vt hac se illi credant rerum momenta:
Tanti ponderis Regni Maiestas,
Vt rigorem trutinæ suæ non refugiat.
Felix omen!
Minoris Mundi subiectione
Maximi Imperium auspiceris
REX Felicissime
Quod si Columbi deerunt qui nouum præmonstrent,
Non deerunt Aquilæ quæ occupent antiquum.



Dilige Iustitiam *ueræ* Pietatis *Alumne,*
Et nunquam poteris degener esse Patri:
Ille Sibi has geminas Virtutum è stirpe sorores
Delegit: monstrans quod TIBI *restat iter,*
Virtutum restat. si reddere Regna beata
Vis? Pietate *faue,* Iustitiâq; *foue.*



Terpsichore

APPLAVSVS V.

Omninò
Ferrea si cogunt secula, ferrum rape,
Aurea si redeunt, lauream
LEOPOLDE
Creent prælia Victorias
Canent præla Triumphos:
Armamenta clades inferant
Referent atramenta:

Si Artis calamo nequibunt
Scribentur Martis capulo Victoriæ:
Membra hostium cæsorum
Cedent in membranam:
Portabunt illa stigmata infamiæ suæ,
Potentiæ TVÆ:
Bellum scabellum,
Gradiuus gradus erit gloriæ.
Sed et Pacem serua, si Bella non seruient,
Ac
EX VTROQ
Magnus esto
LEOPOLDE IGNATI.



Accipe porrectam noue Rex LEOPOLDE Coronam,
Est illa â Czechis debita iure TIBI.
Non hæc pro extremâ TIBI serta coronide dantur,
Frons TVA pro sertis pluribus apta manet:
CÆSARIEM si forte TVAM decorare Coronæ
Vellent: huc debent currere CÆSAREÆ.



Erato.

APPLAVSVS VI^{to}

L ætus

Faueat Hymenæus et profusis cantib,
Personet Fescenninus,
Diuinioris Cupidinis adstricta uinculo
Genialem ambit Thalamum
Desponsata
Aquila *nigra* Leoni *candido*
Biceps Bicaudato
Regina Aeris, Terræ Regi,

13. Armigera Jouis, Herculis stipendiario.
Felicissimum connubium,
Cui ne desint nuptiales Tedæ
Regem TE inaugurando
LEOPOLDE IGNATI
A TVÆ virtutis lumine faculas mutuatur.
Ipse Augustus Genitor
Regnum TIBI
Sponsam dico consignans
Agit Paranymphum.



Dicamus quod sit Regina Bohemia *cælum,*
Quot dedit hæc Reges tot simul astra dedit:
(Disparibus luxêre alij fulgoribus Orbi,
Austriaci *soli luce fuere pares:*
Quorum **TV** *Noue* **REX** *cum sis genuina propago,*
Pulchrior inde **TVO** *Sydere* Praga *nitet.*



Polyhymnia

APPLAVSVS VII.

Diuæ
Cor Germaniæ Bohemia
TVO *se pectori insinuat*
LEOPOLDE IGNATI.
Vitam sibi quærit dum Pectus TVVM quærit:
Domicilium nequijt habere magnificentiùs,
Dum in eo moderatrix Regnet Magnificentia
Angustum ais? Augustum est
imò ipsum Augustale.
Capitur ibidem Regnum, sed non replet,
Unde hic Vniuersum et necdum Vniuersa eius spatia
commensurasti;
Ad-huc cum Orbe terreo
Orbis est capax ætherei.



TANDEM LASSATA QVIESCAM

Fessa tot et tantis quæ uixi exercita bellis,
Tandem Pace meâ Terra Bohema *fruar*
Et respirabo. sed quomodo cōsequar istud?
Opportuna struit **REX** *mihi fulcra nouus.*
Viuat **FERNANDVS** *Pater, et uiuat* **LEOPOLDVS**
Filius: en fulcra hæc, **ILLE** *dat,* **ISTE** *facit.*



Calliope

APPLAVSVS VIII.

Vt

Fælix non esset, Phænix tamen est

BOHEMIA.

In Hercinij nemoris centro nidum parat
Regium egregium,
Et inde sibi deesse nequit flammarum materies
Quas hostilis Turbo sæpiùs concitauit
Tot inter incendia.
Defunctam dixisses Viator
Nisi aut immortalem credere.
Aut rediuiuam semper intueri cogerêre

17. *Regnorum Phænicem:*

Adeò nobilem Alitem liberam asserit

Ingens naturæ prærogatiua.

TIBI *nihilosecius supplicem arcuat poplitem*

LEOPOLDE IGNATI,

Dum in TE

Oecumenicam Volatilium Induperatricem

Aquilam *ueneratur.*



Cum TVA cum Patris TIBI *sit Rex inclyte Virtꝰ,*
Bina TIBI *meritò dãda corona fuit:*
Quam daret, auratam iam terra Bohema *parauit,*
Nescijt ast aliud sumeret unde decus:
Prouidit Natura decus: fit Sylua Corona:
Frondibus Hercinijs REX redimito Comam.



Vrania.

APPLAVSVS IX.

Epiphonematicus.

Salue

Æternum Salue Delicium Regum

LEOPOLDE IGNATI

Munificentiâ et Magnificentiâ
Semideus es, Vice Deus es,
Imò Terrestris quidam Deus;
AVGVSTA Proles
In AVGVSTINI Natos beneficia profundere

19. Cum AVGVSTIS omnibus conspirasti.

TIBI

Tamquàm salutari Numini TVOq; Nomini

Victimam sacramus

Nosipsos:

Agedum generosa Cæsarum Propago,

AVI

Victorias, Zelum, merita:

PATRIS

Pietatem, Iustitiam, Gloriam, æmuleris.

Pingantur in frontibus,

Sculpantur in cordibus,

Exarentur in uisceribus,

TVA facinora:

Subditorum Amor Apellem, Phidiam, Homerũ agat.

Laudis TVÆ meta non sit alia

quàm æternitatis:

Laus interim nostrorum Applausuum metam habet,

Allaturi lubentes plura,

Ni adeò Gloriæ pennis auolasses

ut TE


Ingenia assequi non possint.

Deniq; rege

REX non tam Corporũ quàm animorũ (fallimur an Amorũ?)

Subdita TIBI corda

Genitoris PIETATE *et* IVSTITIA
Non tamen sine ingenitis TIBI



Quam benè conspirant è nube oculusq; manusq;
Dextra gerit Gladium, Sceptra *sinistra regit.*
Consilium *simul hic simul hic* Industria *fulget:*
Illi opus est Oculo, *quærit at ista* manus.
Et rectè à Superis o REX: *nam ni sit utrumq;*
Inde, nec hic Oculus, *nec ualet ulla* manus.

Votum è Symbolo Regio.

Quid sibi uult oculus? *quid uult* manus *utraq;? nobis*
Hæc manus *hic* Oculus Rex LEOPOLDVS *erit.*

O sit!
et
Prosit.